

204
PLEIAS GRATULATORIA,

Votis Nuptialibus

VIRI

SPECTABILIS atq; PRUDENTISSIMI

DN. JOHANNIS
ZERNEKE,

Scabini apud Thorunienses Suburbani,
& Mercatoris celeberrimi,

ac

Virginis sexus sui virtutibus

ORNATISSIMÆ LECTISSIMÆ QUE

ANNÆ ELISABE-
THÆ NOGGIÆ

VIRI

NOBILIS atq; AMPLISSIMI, DOMINI

JOHANNIS NOGGII,

Consulis & Camerarii in Civitate Regiâ Thoruniensi
gravissimi meritissimique,

FILIÆ Dilectissimæ,

d. x. Septembr. M. D. CCIX.

devotè celebratis

boni ominis ergo erecta

à

THOMA LINCKIO, SS. Theol. Stud.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS,
TYPOGRAPHUS.



Ui sedulò per fluctisonum mare
Lucri Institores curritis impigri,
Gaudete, onusta merce navis
Littora tangit amœna primum.
Non puppis ejus fulget Apolline
Aurato adunca, aut effigie sacrâ
DEUM; sed ANNÆ ELISABETHÆ
NOGGIÆ habet ratis illa signum.
Miraris? en! Jessæ sapiens nepos (a)
Vivis colorum peniculis pio
Sub nomine uxoris pudicæ
Perpoliit NEONYMPHAM amicè:
Cordata conjux est similis, canit, (b)
Navi Institoris, quæ, penetrans sinus
Orbis calenteis, inde merces
Advehit eximias subinde,
Nam sic & Uxor non minus optimè
Prius paratas viribus omnibus
Opes magis magisque largis
Amplificare opibus laborat.
Talis TUUM nunc dum quoque contigit,
ZERNEKE, portum, mercibus inclytis
Impleta virtutum ac bonorum
Navis, an exulet hinc voluptas?
Absit! recenti quin modò nuperum
Vincis dolorem lætitiâ, TUI
Nos gaudii cum gente sanctâ
Participes faciens piorum.

Invi-

(a) Prov. XXXI, 14. (b) *conf. hic omnino Fried. Taubmanni.*
Columb. Poët. pag. 156. 157.

Invisa res ut nautica vita sit (c)
 Turbæ Ethnicorum, cui fuerat nefas,
 Concredere imbecilliori
 Navigio bona, sive corpus;
 Expers pericli TU placido petis
 Cursu ratem, quæ tam lepidam vehit
 SPONSAM, à Magistro navis emptam
 Et gemitu & precibus sacratis,
 In hunc quòd à TE jacta spei anchora
 Est, SPONSE, tutum à naufragio quoque
 Præstabit ille fata navis,
 Plena DEI benedictione.
 Sint ergò nautis sidera nuncii
 Sortis futuræ, (d) non ea TE movent
 Quicquam tamen, VIR AMPLE, Numen
 Sidera cum regat ipsa celsum,
 Felicius quod surrogat hac die
 Boni ominis fidus TIBI ab ætheris
 Fulgentis axe, dona spirans
 Corporis atque animi benigna,
 Commendet idcirco Aonius chorus
 Infausta septem sidera Plejadum,
 Primæque navigationis
 Indicium, pluviosa nautis; (e)
 Hic gloriari seu potius TIBI,
 Seu gratulari de Pleidum licet
 Præstantiâ majore nobis,
 Indice cœliferi favoris,

Æter-

(c) Dieter. *Analys. Evang. Domin. Part. 1. Dom. IV. post Epiph. Membr. 1.*
Observ. 2. pag. 236. 237. (d) *Balduin. Cas. Conscient. lib. 3.*
Cap. 6. cas. 2. pag. 780. seqq. (e) *Balduin. l. c.*

Æterna Olympi templa colens DEUS
 Et lucido astrorum in folio sedens
 Amplectitur quo corde toto
 Teque domumque tuam libenter.
 Is navis ad clavum sedeat TUÆ
 Posthac frequenter, monstra marinaque
 Adversitatum ac jurgiorum,
 Infidiosa rati, repellat,
 Ut prima res hæc nautica prospero
 Vento feratur, nescia sideris
 Pluentis; aura sed serena
 Hanc comitetur ubique navem
 Summi JEHOVÆ lux Cynosura sit,
 Custodiens VOS à scopulis malis,
 Quò septiformi (f) gaudeatis
 Munere fortis amiciois,
 Marita prolis merce novâ & bect
 Dulcem maritum, crescat ut indies
 ZERNEKIANO-NOGGIANA
 Secula progenies in ampla.
 Navis, [quod absit!] si fuerit gravi
 Disjecta ventorum rabie, illicò
 Sedare Rector pergat illam
 Omnipotente manu supremus.
 Hæc servet ipsam rebus inasperis
 Adversus insultus rapidos nigri
 Piratæ, ope ejus vela solvens
 Littora quò petat alma felix.

(f) i. e. perfecto; septenarius enim perfectionis est numerus in Scripturâ
 probantibus id ex multis B. D. Joh. Bened. Carpzov. Conc. funeb.
 Tom. I. pag. 926. seqq. & Erotem. Evang. Part. 2. pag. 697. 698.
 699. nec non D. Sam. Bened. Carpzov. Off. Virid. pag. 717. seqq. &
 utriusque Parente B. D. Joh. Bened. Carpzov. Fasc. Myrrh. pag.
 174. seqq.